



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 64. Henricus Archiepiscopus Moguntinus deponitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](#)

fensi, non licuisse. At S. Bernardus op- Sæcul XII.  
posuit, Regium consensum primo datum A. C. 1152.  
sufficere, nec esse necessarium, toties  
ad Regem recurrere, quoties eligentes  
Clerici dissensissent.

Alanus, postquam Ecclesiæ Antissio-  
dorensi annis tredecim præfuisset, illa  
relicta, consentiente Papa, Claramval-  
lem rediit, reliquum vitæ in pio otio  
transacturus.

### §. LXIV.

#### *Henricus Archiepiscopus Moguntinus deponitur.*

Eugenius Papa duos in Germaniam Le-  
gatos miserat, Bernardum Presbyte-  
rum Cardinalem tituli S. Clementis, antea  
Priorem Canonicorum Regularium S. Jo-  
annis in Laterano, & Gregorium Diaconum  
Cardinalem Tituli S. Angeli, discus-  
furos causam Henrici Archiepiscopi Mo- Otto. I. Fris.  
guntini, qui dudum accusatus, quod  
Bona Ecclesiæ suæ dissiparet, saepius moni- c. 9.  
tus, errata non emendaverat. Legati  
Bambergæ versabantur cum Friderico  
Rege, ubi Festum Paschæ, quod hoc  
anno millesimo centesimo quinquagesimo  
tertio in diem decimam nonam Aprilis  
incidebat, celebravit. S. Bernardus vero,  
cum

Sæcull XII. cum comperisset, Archiepiscopum Mo-  
A. C. 1153. guntinum ad tribunal Legatorum voca-  
tum fuisse, data ad eos epistola, roga-  
vit, ut, quantum salva justitia fieri pos-  
set, extremo rigore in infelicem Präsu-  
lem non animadverterent, sed ejus sim-  
plicitati non nihil darent, qua abusi falsi  
fratres Archiepiscopum in ruinam im-  
pulisse dicerentur. Henricus nihilomi-  
nus depositus est in Curia, quam Rex  
Wormatiæ in Pentecoste eodem anno  
convocaverat. Ipso etiam auctore in  
Sedem Moguntinam subrogatus est Ar-  
noldus ejus Cancellarius, per elec-  
tionem quorumdam delegatorum, qui no-  
mine Clericorum populique ad illam Cu-  
riam venerant. Præterea Legati, Rege  
licentiam concedente, Buchardum Epi-  
scopum Eichstadiensem, virum senectute

*Serr. Lib. V.  
p. 817.*

fractum, tanquam oneri amplius ferendo  
imparem, deposuerunt; verum in Archi-  
episcopum Magdeburgensem quoque,  
& quosdam alios, sententiam pronuncia-  
turos prohibuit Rex, & in Italianam dimisit.  
Henricus, de Sede Moguntina dejectus,  
in quoddam Saxoniæ Monasterium Ordi-  
nis Cisterciensis se recepit, ubi prima die  
Septembbris eodem anno pia morte de-  
functus est.

§. LXV.